



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

93. De Sergio Pontifice S. Willibrordi Ordinatore.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

Haræus nisi quod addat Pipinum ad vomitum redijſſe iterato meretrice recepta, colligens ex eo quod moriens Cat. Martellum scripſerit hæredem. Gramaius ex veteri, in Brabantia monumento Ecclesiæ Hugardiensis, quæ Collegij sui fundatricem agnoscit Alpaidem, narratis Dodonis & complicum poenitentia, subdit, Alpais perpetuo contabescens mœrore factum expiauit, sufficienter eius dimissionē post S. Lamberti necem insinuans.

Fundamentum contrariæ opinionis quod ex cap. 25. Marcellini desumptum est, refutabimus dum ad obitum Pipini venerimus, vbi plura ad nostræ confirmationem adducentur & simul manifestabitur Pipinum non iniuriosè Martellum hæredem ordinasse, consequenter nec ex eo colligi dimissam Alpaidem resumpſisse,

## DISSERTATIO LXXXIII.

De Sergio Pontifice S. Willibrordi  
Ordinatore.

Nno 701. vitę stationem cedit Beatus pontifex Sergius cui plurimum obligatur Frisia, ut pote quę eius causa bis S. Willibrord. adiijt. Semel 1º. introitu ex Hybernia, ab eodem prædicandi potestate plurimisque ad sacram suscepitam spatam elaborandam utilissimis & necessarijs instructus rediens. Beda lib. 5. cap. 12. Iterum à Pipino delegatus anno 696. pro Episcopalibus Insulis obtinendis, pro nouo Ultraiectensi Episcopatu instituendo, roborando ac ampliori facultate spirituali Frisios gubernandi

## D I S S E R T A T I O L X X X X I I I . 325

Bernardi, in quibus omnibus voto suo potitus plenissime, in messem Frisicam remissus est. D. Gregorius Magnus meretur audire Apostolus Angliæ eò quod ad eius conversionem miserit Augustinum cum socijs, cut non pari iure V. Sergius merebitur audire Apostolus Frisiæ qui ad eius conversionem miserit & ordinauerit S. Willibrord. & consequenter confodales? Vide supra diss. 26. & sequentibus.

Hic B. Sergius pontifex creatus anno 686. saluberimus Ecclesiæ Catholicæ fuit. Portionem salutiferi Ligñi (referente Anastasio Bibliothecario) Dominicæ crucis inuenit, quæ etiā ex illo die pro salute humani generis ab omni populo Christiano in Basilica S. Crucis deuotè osculatur & adoratur. Hic fecit Thymiamaterium aureum maius cum columnis & cooperculo quod suspen dit ante imagines tres aureas Beati Petri Apostoli, vt narrat idem Anastasius, in quo incensum & odor suavitatis festis diebus, dum Misarum solemnia celebrantur, omnipotenti Deo opulentius mittitur. Corpus Beati Leonis probatissimi Patris atque Pontificis, quod in abdito inferioris Secretarij prædictæ Basilicæ positum fuerat, facta diligentius tumba in denominata Basilica publico loco (vt ei fuerat reuelatum) reposuit ac locum ipsum ornauit. Hic statuit, vt tempore confraktionis Dominicæ Corporis, Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis, à clero & populo decantaretur. Constituit etiam, vt diebus Annuntiationis Domini, Nativitatis, & Dormitionis Sanctæ Deigenitricis semperque virginis Mariæ ac Sancti Simeonis, quam Hypopantem Græci appellant, Litania exeat à Sancto Adriano, & ad Sanctam Mariam occurrat populus. Hic ordinauit Damianum Archiepiscopum Sanctæ Ecclesiæ Rauennatis, atque Clementem

326      DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS  
mentem Frisonum. Hic ordinavit Berectualdum Doro-  
uernensem Britanniæ Archiepiscopum S. Theodori suc-  
cessorem. Hic ordinavit per diuersas Prouincias Episco-  
pos nonaginta septem. Fecit autem ordinationes duas  
per mensem Martium, ordinavitque presbyteros decem  
& octo, Diaconos quatuor; qui etiam sepultus est ad bea-  
tum Petrum quinto idus Septembbris, Indictione decima-  
quarta, Tiberio Augusto. Notetur hinc qualem fidem &  
a quali S. Willibord. Romæ inuenierit, Româ eduxerit,  
in Frisiæ induxerit. Exmittente noscitur legatus. Per-  
pendant quam placitum sit nostris Primis Patribus reli-  
ctâ Româ, abnegato Pontifice Romano Christi in terris Vi-  
cario, normâ fidei querere ab Apostatis, votifragis, nouitijs,  
& quidem quam nec ipsi, nec ab eis progeniti nouerunt. Il-  
li Româ fidem, leges, præscripta, monita, accipiebant.  
Oclamant; Sergium Pontificē primum Antichristum vel  
inter primos Antichristos sedisse; sed non aduertunt se  
hoc pacto ductorem, Doctorem, salutis suæ nuntium &  
Pædagogum, omnis impietatis, hypocrisis, ignorantiae,  
accusare, qui Antichristum adorauerit, ab Antichristo po-  
testatem verbi Dei depraedicandi tulerit, Antichristi cha-  
racteribus insignitus fuerit, Antichristo resistere timu-  
erit. Quæ magis horrenda in Christi missum blasphemia?  
Sed reliquæ hâc foetutinâ ad coetera pergamus.

D I S S E R T .